



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

CX. Heliodorus. ab Angelis flagellatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

Iudæorum interemptio antiquatur; sed ijs insuper jus
gladij permittitur, omnes illos contrucidandi, quos
anguini suo inhiâsse, compertos haberent. Divi-
na historia septuaginta quinque millia à Iudæis ne-
ci data; cædîsque factæ memoriâ, festa quotannis so-
lenitate repetitam, memorat. Tantam capitû stragē
fecit exortus à genibus factus: & iniquum in alios o-
dium meritò authores perdidit.

NARRATIO CX. HELIODORUS AB ANGELIS FLAGEL- LATUS.

2. Machab. 3.

Anno Mundi 3870. ante Christum 183.

Sacrilegiorum tantò severior Vindex DEUS;
quantò plùs interest Numinis sui, res sibi sa-
cratas tueri, memorabile exemplum statuit in
Heliodoro Solymæi templi direptore; quem *Seleucus*,
Rex Asiæ *Antiochi* magni filius, cognomentò *Philopa-*
tor (seu *Amans Patris*, ex eo dictus, quòd Asiatico,
Romanoque bellò patrem assultibus hostium, unde-
quaque circumclusum eximia, filiòque digna chari-
tate juvisset, ac sublevâset) Hierosolymam misit,
sacros templi thesauros expilatum. quid enim est
sacrum, quid impervium avaritiæ? Supremum ea
tempestate Pontificatum gerebat Jerosolymis, *Onias*
nōmī-

nominis istius tertius; vir DEO probatus, & hominibus, ob exquisitam morum & religionis integritatem.

Huic infensus erat ex disparitate vitæ, *Simon* quidam aliquam templi præfecturam obtinens, eo fere gradu, quò postea Christianis sub Episcopis, Archidiaconi rem Ecclesiarum familiarem, ac census administrabant. Hujus hominis ingenium inquietum, res Israël sacras æquè profanasque, trahere paullatim ad cultum, ceremoniasque Græcorum, abolitò Judaismo, velle videbatur. Sed cum in hoc, summa contentione repugnantem sibi Pontificem experiretur: Ierosolymis in Coelefyriam clam profectus; eoque, quod animoolvebat, consilio, cum *Apollonio Tharsæada*, regionis illius ac Phœnicis Satrapa, communicatò: subornavit eum, ut *Seleuco* Regi, Pontificis *Oniæ*, sacerdotumque Iudaicorum avaritiam exponeret, ut qui pecuniam à Regibus Asiaticis ingentem quotannis, per causam impendiorum in victimas, ac templi religiones, accipere non erubescerent, in ærarij regij tantis angustijs, cum interim ipsi Gazophylacium in ipsis templi sui penetralibus exstructum, ac circumseptum haberent, in quo defossæ jacerent opes, quæ non tam ad sacrificiorum sumptus, quàm ad luxum & jactantiam spectarent.

Quæ cum per calumniam *Apollonio* asseverasset, nec *Apollonius* distulisset explicare *Seleuco* Regi: ratus ipse, quidquid ubique vel ad Deos spectaret, vel ad homines, id hoc ipso sui quoque juris esse: simul autem & Romani, quod exsolvendum *Antiochi* magni, patris sui nomine restaret, tributum magnitudi-

itudinem ob oculos habens, & quàm in expedito foret, eo quamprimùm onere seu penitus liberari, seu plurimùm allevari: mittit in Iudæam illicò, sibi fidissimum, & ex intima depromptum amicitia, regni procuratorem *Helioderum*. Huic negotium dat *pollonij*, *Simonisque* fidem inspicendi: templique gazam, quanta necessarios extra sumptus abstrusa, deprehenderetur, sub unum temporis punctum asportandi.

Proficiscitur *Heliodorus*, multo cum equestri, pedestrique comitum ac satellitum agmine: militaris expeditionis majorem, quàm legationis, præ se speciem ferens; quò majori Ierosolymitis ad imperata facienda, ferendave terrori foret. Venit Ierosolymam: excipitur hospitaliter: sciscitatur ex Onia de templi reconditis opibus: docetur ab eo, nec mirum, nec falsum esse, templi copiarum partem haud aspernandam servari. quippe regum ac principum, & orientis populorum donaria; quibus cœli Numen toto celebratum orbe, Voti, religionisque causâ, jam ex antiquo venerarentur. Partem autem longè maximam, depositas esse varij generis opes, viduarum dotales reliquias, ac pupillorum patrimonia. Universam verò summam, etsi grandem, haud quaquam tamen esse tantam, quantam ad Regem fuisset delata.

Dicebat hæc Onias, &, uti sperabat, à rapina Syrum deterrebat. Sed contrà prorsus evenit. *Heliodorus*, stipantibus eum armatis, ac per hos effratis portis, templum petit; & omni trepidante, flentēque Sacerdotio, multitudineque sexus utriusque civium ejulante, divinam irrumpit in ædem,

N n

Iam.

Itaque, suorum cum manu, mista vi minis, instru-
mentisque fabrilibus expeditis, orsus erat ærarium
moliri templi: cum in ipso temporis articulo, DEI
vis, occulta quidem illa, sed horrenda, tremore
membrorum, formidinèque mentium, ac mani-
festa nervorum omnium dissolutione, satellitum
Heliodori, comitatumque prosternit universum.
Et hi quidem jacebant exanimes, extinctisque,
quàm spirantibus, similiore.

At in Heliodorum, cæteris gravius ausum de-
linquere, pœna quoque gravior, eaque [ne som-
nia sibi fingeret] conspicua patientis oculis, incu-
buit. Immissus enim divinitus barbaro splendidus
quidem armis aureis, sed æris, oculorumque ful-
gurantium aspectu terribilis, è cœlestium Angelo-
rum turmis Eques, in adversi frontem ac pectus de-
dit impetum: ei que ferocis; quem insidebat, equi
ferratas pedum anteriorum ungulas illisit. Eodem
quoque temporis articulo, cœlestes alij duo juve-
nes, vultus, habitusque majestate spectabiles,
hinc & hinc Heliodorum, in medium acceptum,
flagris atrocibus, & indefessa verberum ingeminati-
one, lacerabant; gementem, ac vociferantem, eju-
latumque lamentis & lacrimis miscentem; cum
plagas interim nec illi, qui cædebant, remitterent;
nec ille, cujus dorsum vapulabat, sentire cessaret.
Ubi satis flagris sævitum, illi mortalibus se oculis
subduxerunt; Heliodorum autem, tanquam repen-
tino quodam fulminis afflatu prostratum, affixe-
runt humo. Luctantem mortis inter ac vitæ limi-
tes Sacerdotes ac spectatores cæteri, qui præfentes
adhuc sibi mente constabant, allevant; sed illique
gesta.

gestatorio per tumultum ac trepidationem, impo-
situm, extraque templi septa deportatum, profanam
in domum inferunt.

Is deinde Pontificis Oniæ precibus, & sacrificijs
sibi restitutus, per juvenes, à quibus antea vapulâ-
rat, denuo cœlô demissos, ac pristina cultûs, oris-
que majestate conspicuos, monitus est, salutem in
acceptis ferret Oniæ; cujus rogatibus, victi-
misque DEUS eum condonâisset, memor quoque,
prædicatôrque summi Numinis, ubique gentium
viveret, ac permaneret; cujus ipse vires ac poten-
tiam, non beneficijs minùs, quàm plagis expertus
esset. Quibus illi dictis, videri desierunt; Helio-
doro se mandatis eorum, per omnia, singulâque,
morem exactissimè gesturum, pollicente.

Neque secus præstitit, quàm promissit. Antio-
chiam quippe cum ignominia, dedecorêque rever-
sus, non omitebat publicare; non modò quanta vis
esset Numinis Hebræi, ac Ministrorum illius cœ-
lestium, ærario, templôque sacrosancto præsen-
tium, sed etiam conquerebatur, quàm indignum es-
set, ex intima regis amicitia deligi, legarique, qui lo-
cû mortalibus expavescendû expilarent: quò, longè
consultiùs perduelles & hostes, ac læsæ majestatis rei
mitterentur; ut è vestigio, regnum ac rerum pub-
licarum bono perirent. Manebat igitur altè defi-
xum iracundiæ vulnus in pectore, cùm adversus
Simonem & Apollonium, tum in regem; quod
malè celatum, opportunitate oblata, in ejus per-
niciem erupit, dum *Seleucum* venenô sub epulis præ-
bitô, interfecit, & pro rege se gessit, tantò confi-
dentiùs, quòd *Demetrius*, undennis *Seleuci* filius,

tunc apud Romanos obses, procul à patria dege-
 Heliodorum dejecit, & regnum invasit *Antiochus*,
 Seleuci frater, Græcis *Epiphanes*, Latinis *Illustris* ac
Nobilis appellatus, ironicè cum nihil illustre gesserit,
 præter scelera: odiò in DEI populum, acerbitate sup-
 pliciorum, & horrenda, quæ raptus est morte, pos-
 terorum memoriæ ad detestationem inscriptus; unde
 rectius ab alijs *Epimanes* seu *furiosus*, est dictus. Dic-
 cant Principes, melius esse Ecclesiarum precibus,
 quàm pretijs adjuvari.

NARRATIO CXI.
 ELEAZARI SACER-
 DOTIS, ET SEPTEM
 FRATRUM MACHABÆORUM, UNA
 CUM MATRE, ILLUSTRE
 MARTYRIUM.

1. Machab. 1. & 2. Mach. 5. 6. 7.

Anno Mundi 3886. ante Christum. 167.

Perquam sæpè amat evenire, ut vires, quas vel
 ætas, vel sexus negat, adjungat virtus. Quo
 tempore *Antiochus* [quem proximè suprà vel
 per ironiam, vel assentationem, *illustrum* appella-
 tum diximus] per omnia crudelitatis, & nefando-
 rum scelerum genera, Anti-Christi se præfultorem
 ostendebat, tantus unius ac veri DEI Osor & per-
 secutor, quantus commentitiorum Numinum ama-
 tor & cultor; horrendis omnis Iudæa concussa est
 ex-